



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1566 usque ad annum 1572

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118634

§. 91. Condæus Princeps Monasteriolum secedens.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67213](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67213)

Sæcul. XVI. junctum milites conscribere prohibuerunt.
 A.C. 1567.

§. XCI.

Condæus Princeps Monasteriolum secedens.

*Thuan. l. v.
 Mem. de Casteln. l. 6.
 c. 8.*

Postmodum Condæus Princeps, cum se in urbe, ubi morabatur, unacum suis obsideri pertimesceret, cum exercitu suo Monasteriolum quarta post pugnam die secessit, datisque literis Calvinistas, qui adhuc Pictavii, Engolismæ, & apud Santones hærebant, monuit, ut prompte in aciem copias suas educerent, & quascunque possent, urbes occuparent. Jam priori Mense Februario Rupellam ceperant, eoque Francisus Putardus Truchares recens electus hujus urbis Rector hæreticis ad dictus Santerminio, qui se Condæi Principis Legatum dicebat, portam aperuisset: insuper sub idem tempus Condæus Princeps validas suppetias a Palatino Rheni Comite acceperat, nec minus Aquitani, Engolismenses, Santones, & Pictavienles Condæi jussis fideliter obtemperantes intra breve tempus numerosum contraxerunt exercitum, quo recens militia a Protestantibus conscripta in Delphinatu, Occidania, Borbonia, Alverniis, Fori, & alibi augebatur.

Al-

Altera ex parte Niverniensis Dux ^{Sæcul. XVI.} pro Galliarum Rege suppetias attulit ^{A.C. 1567.} Henrico Andegavensi Duci, juveni quatuordecim annorum Principi, cui post Connestabilis mortem supremum exercitus imperium fuerat delatum: igitur nil nisi prælia in variis Provinciis audiebantur, unde Franciæ Regnum intestinis bellis omni ex parte misere dilaceratum cernebatur (*).

§. XCII.

(*) Hi nempe sunt certi fructus, qui ex qualibet secta a fide Catholica aliena pullulant, nisi hæreticis statim ab initio obsistatur, quotiescunque enim invalescere permittuntur, nec lenitatis via, nec poenarum severitate, neque armorum potentia ad saniora reduci possunt, sed sub religionis obtentu, ac libertatis conscientiarum, vel purioris doctrinæ prætextu nil nisi seditiones, & rebelliones in suos Reges, & Principes concitant, omnes, quotquot eorum erroribus dediti non sunt, dire vexant, & calumniis opprimunt, quietem publicam perturbant, patriam, & Regna incendiis, rapinis, & cædibus replent, ac devastant, cunctaque suadeque vertunt. Hoc experta est Germania, Flandria, Scotia, Gallia, totque alia Regna, in quibus antea animorum consensio, pax, & concordia floruit omnibus in vera fide conjunctis, ac suo Principi obtemperantibus, quam